UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P. Emanvelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Diuinum Officium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

Visual Library

eſt ſtrictè interpretanda, ita tamen vt ſeruetur proprietas ſermonis, & reſpectus detur ad tacita & acceſſoria, quæ ex præcedentibus & ſubſequentibus colliguntur: Quando autem eſt gratioſa, aut in corpore iuris incluſa, latè eſt interpretanda *art.* 11.

DIVINVM OFFICIVM.

Vide Monialis.

AD ſedandos ſcrupulos *Leo X.* conceſſit, quòd Fratres Minores ſatisfaciant officio ſecundum Regulam, dicendo illud ambulando, ſedendo ob aliquam cauſam, non integrè pronunciando per imperitiam aut negligentiam, aut defectum linguę, ſeu alias qualitercumque imperfectè cum diſtractione dicant, dummodo hæc ex malitia non faciant. Et ſimiliter dicentes cum aliis quòd non teneantur repetere ab iis imperfectè pronunciata, aut non integrè audita ob ſtrepitum, aut diſtantiam, qualitercumque, & præſertim in choro. Quod ſi aliquid omiſerunt, ſatius eſt

eſt vt dicant, ad ſupplendum omnem defectum, vnum *Pater* & *Aue* aut Orationem quæ incipit, *Sacroſanctæ*, &c. ex eodem *Leone, tom.* 1. *quæſt.* 24. *art.* 2. & 3.

Idem *Leo* conceſſit, vt omnia quæ ſecundùm rubricas debent dici ſecretò, non teneantur pronunciare verbaliter, ſed poſſint tantum mẽtaliter, quod ſanè eſt priuilegium *art.* 4.

Idem conceſſit Minoribus indulgentiam medietatis peccatorum commiſſorum illo die, quo officium ex libro recitauerint. *articulo* 6.

Prælati poſſunt diſpenſare cum Fratribus infirmis in officio diuino, ſi non valeant illud legere ſine tædio aſſignando eis aliquid aliud ad arbitrium ſuum: tutique ſunt Fratres ex *Eugenio* IV. qui etiam conceſſit, cum ipſis Prælatis quemlibet Presbiterum per quemuis eorum eligendum, ſimili modo diſpenſare poſſe. *art.* 7.

Fratres Minores itinerantes poſſunt ſatisfacere officio, dicendo Horas vel ſeparatim, vel cum aliis,

cum quibus ſe inuenerint : licèt non ſecũdùm vſum Romanum, per *Innocent.* IIII. nec contradicit Bulla *Pij* V. in principio Breuiar. *art.* 8.

Non erit peccatum mortale, ſi cum fieri deberet de Feria, faciant de Feſto bis, térve; ſecus ſi ſæpius, propter notabilem peruerſionem Ordinis Breuiarij. *ibid.*

Leo X. pro ſcrupuloſis, conceſſit Fratribus Minoribus occupatis aliqualiter & occupandis, vt poſſint anteponere & poſtponere, dicendo Matutinum veſperi, & manè cætera vſque ad Veſperas excluſiuè, ſine pecccato, etiamſi occupatio non ſit multùm neceſſaria Vrgente verò neceſſitate idem conceſſit, vt poſſint mutare officium Feriæ in officium Sancti. Ad hæc refert Veracrus *Pium* V. conceſſiſſe quòd Fratres ſine ſcrupulo poſſint dicere Matutinum ante Solis occaſum, & manè ratione itineris aut alterius occupationis, reliquum vſque ad Completorium incluſiuè, cùm credunt ſe deuotiùs tunc dicturos. *art.* 5. *&* 18.

Moniales Sanctæ Claræ ſub cu-

ra Minorum degentes, non tenentur ſub peccato ad officium Defunctorum, ſeptem Pſalmos, & canticum Graduum: ſicut nec ipſi Minores. Ex *Leone* X. *art.* 14.

Probabile eſt, Minores teneri certis diebus ad Officium B. Mariæ in choro, per antiquam conſuetudinem Ordinis præſcriptam, ex mente *Pij* V. *ibidem.*

DONARE.

Vide Eleemoſyna.

DOnatio, eſt datio liberalis ſiue irreddibilis, id eſt, recompenſationem non intendens. Vel eſt rei licitæ, nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio. Eſtque Duplex, videlicet inter viuos, & cauſa mortis. Donatio inter viuos eſt, quando rem, quam dono, malo habere eum, cui dono, quam me. Donatio cauſa mortis eſt, quando rem, quam dono, malo me habere, quàm illum, cui dono, ſed magis illum, quàm hæredem. Hæc eſt reuocabilis, illa irreuocabilis. Ex *iure tom.* 2. *q.* 47. *art.* 1.

Donatio omnium humorum præ-